Conſilia ut Patris, propria & clementia mentis.
Dum tua, te miſerans, improba facta luo.
Iudicium iudex ſubis! indomitusq́ue domaris!
Nil patiens pateris! non moriens moreris!
Quippe creator ego atque creatus, homoq́ue, Deusq́ue.
Nil patiens patior, non moriens morior.
Mortem ita morte dedi morti: lætiſsima prebens
Gaudia cœligenis, gaudia terrigenis.
Apta ô mentis opus! diuina ô conſilia! iſtud
Cœligenæq́ue ſtupent, terrigenæq́ue ſtupent.
I nunc, Orce niger: Sathan, & tu perditor, i nũc:
Ipſa viden? vita mors tua facta via eſt.

In Pseudocleri Romani Votiuum cœlibatum.

Romana in primis abigat quum Curia quotquot
Legitimi iurant fœdera ſancta thori.
Cur, age, cur patres cupiunt fratresq́ue vocari,
Quotquot alit ſummi Curia Pontificis?
Scilicet hiſce Deus pater eſt, Eccleſia mater,
Vna quibus patrem turba cynæda parit.
Immò quis patribus plenas & fratribus iſtis,
Crediderit vacuas matribus eſſe domos?